eas signat vinculo amoris, sed eas copulat et thesauris celestis glorie eas ditat sic dicens. Anulo suo subarravit me, dextram meam et collum meum cinxit lapidibus preciosis. Induit me ciclade auro texta et immensis monilibus ornavit me. Posuit signum in faciem meam, ut nullum alium preter ipsum amatorem admittam, et sanguis eius ornavit genas meas. Iam amplexibus eius castis astricta sum, iam corpus eius corpori meo sociatum est. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi daturum se si in eo perseveravero repromisit. Audiens hec insanus iuvenis lecto prosternitur, et quia amore egrotabat per alta suspiria a medicis aperitur. Cumque pater iuvenis eadem virgini replicaret, et illa prioris sponsi federa se violare non posse assereret, cepit prefectus inquirere quis esset prefatus sponsus de cuius se Agnes potestate iactaret. Cumque quidam assererent quod Christum sponsum suum diceret, blandis primo sermonibus, deinde timoribus eam pulsat. Cui Agnes: Quidquid vis age, quia quod queris non poteris obtinere. Ipsum enim tenentem ut blandientem ita sibi deridebat. Cui prefectus: Unum tibi de duobus elige, aut cum virginibus dee Veste sacrifica, si tibi virginitas placet, aut cum meretricibus scortaberis. Quia enim nobilis erat, vim inferre ei non poterat, et ideo titulum sibi christianitatis opposuit. Cui illa: Nec sacrificabo diis tuis nec sordibus polluar alienis. Mecum enim habeo custodem corporis mei angelum domini. Tunc prefectus iussit eam exspoliari et nudam ad lupanar duci. Tantam autem densitatem capillis eius dominus contulit, ut melius capillis quam vestibus tegeretur. Ingressa autem turpitudinis locum angelum domini preparatum invenit, qui locum claritate nimia circumfulsit, ubique stolam candidissimam preparavit. Sicque lupanar locus fit orationis, adeo ut mundior exiret quam fuisset ingressus qui in immenso lumini dabat honorem. Prefecti autem filius cum aliis iuvenibus ad lupanar venit et eos ad ipsam prius invitavit. Qui ingressi sed ex miraculo territi compuncti redierunt. Quos ille miseros appellans et ad eam furens intravit, cum eam vellet tangere, in ipsum lumen irruit. Et quia deo non dederat honorem, a dyabolo suffocatus exspiravit. Quod prefectus audiens cum ingenti ploratu ad eam venit et causam mortis eius diligentius sciscitatur. Cui Agnes: Ille cuius voluntatem volebat perficere in eum potestatem accepit et occidit. Nam socii eius viso miraculo territi redierunt illesi. Cui prefectus: In hoc apparebit quod non magicis artibus hoc egisti, si impetrare potueris ut resuscitetur. Orante Agnete iuvenis resuscitatur et ab eo publice Christus predicatur. Ad hoc templorum pontifices seditionem excitantes in populo exclamaverunt: Tolle magam, tolle maleficam que mentes mutat et animos alienat. Prefectus autem viso tanto miraculo eam liberare voluit, sed proscriptionem metuens vicario suo dereliquit, et quia eam liberare non potuit, tristis abscessit. Tunc vicarius Aspasius nomine iussit eam in copiosum ignem iactari, sed in duas partes flamma divisa seditiosos populos exurebat. Tunc Aspasius in gutture eius gladium mergi precepit, et sic sponsus candidus et rubicundus ipsam sibi sponsam et martyrem consecravit. Passa est ut creditur tempore Constantini magni qui cepit anno

domini tricesimo nono. Cuius corpus eius imperfectum parentes ipsi cum gaudio sepelierunt, vix a paganis in eos lapides mittentibus evaserunt. Emerentiana autem eius collectanea virgo sanctissima licet adhuc cathecumina dum iuxta sepulcrum eius staret et constanter gentiles argueret ab eis lapidata est. Statimque terremotus coruscationes et fulgura extiterunt et ex paganis plurimi perierunt ita quod ipsi de cetero venientes ad sepulcrum virginis nil leserunt. Corpus autem Emerentiane iuxta corpus sancte Agnetis positum est. Cumque parentes eius octava die iuxta tumulum vigilarent viderunt chorum virginum vestibus aureis radiantem inter quas viderunt beatam Agnetem simili veste fulgentem et a dextris eius agnum candidiorem nive stantem. Quibus illa: Videte ne me quasi mortuam lugeatis sed congaudete mecum et congratulamini quia cum hiis omnibus lucidas sedes accepi. Propter hanc visionem celebratur festum Agnetis secundo. Constantia filia Constantini lepra gravissima laborans cum hanc visionem audisset tumulum eius adiit et dum in oratione persisteret obdormivit viditque beatam Agnetem sic dicentem: Constanter age Constantia; si in Christum credideris continuo liberaberis. Ad hanc vocem evigilans perfecte se sanatam invenit et baptismum recipiens super corpus beate Agnetis basilicam fecit et ibi in virginitate degens multas suo exemplo in virgines aggregavit.

Quidam vir nomine Paulinus in ecclesia sancte Agnetis sacerdotii fungens officio mira cepit carnis temptatione vexari. Sed cum deum offendere nollet a summo pontifice licentiam petiit uxorem ducendi. Cuius bonitatem et simplicitatem papa considerans anulum ei cum smaragdo tradidit et iussit ut ymagini formose beate Agnetis que in sua ecclesia depicta erat ex parte sua preciperet ut se permitteret desponsari. Cumque hic sacerdos ymagini imperaret illa continuo digitum anularium porrigens et anulum suscipiens retraxit omnemque temptationem a sacerdote fugavit. Hodieque anulus adhuc ut dicitur in eius digito apparere. Alibi tamen legitur quod cum ecclesia sancte Agnetis ruinosa esset papa cuidam sacerdoti dixit se velle quandam sponsam custodiendam et nutriendam sibi committere scilicet ecclesiam sancte Agnetis committens dansque ei anulum iussit ut dictam ymaginem desponsaret. Quam illa extendens recipiens digitum desponsavit. De hac virgine dicit Ambrosius in libro de virginibus: hanc senes hanc iuvenes hanc pueri cantant. Nemo est laudabilior quam qui ab omnibus laudari potest. Quot homines tot preccones qui martirem predicant dum loquuntur. Stupete universi quia divinitatis testis extitit que adhuc arbitra sui per etatem esse non poterat. Fecit denique ut ei de deo crederetur cui de homine adhuc non credebatur. Quia quod ultra naturam est de auctore nature est. Novum martirii genus nondum idonea pene et iam matura victorie certare difficilis facilis coronari magisterium virtutis implevit que preiudicium vehebat etatis. Non sic ad thalamum nupta properaret ut ad supplicii locum leta successu gradu festina virgo processit. Item Ambrosius in prefatione: Beata Agnes generositatis oblectamenta despiciens celestem meruit dignitatem societatis humane vota contempnens eterni regis est sociata consortio pretiosam mortem pro confessione suscipiens simul est ei Christi conformis.

...ptiuimus. Postea uero dicta illis
licencia redeundi a babilon. lxx.
anno ceperunt letari. et nos
quorum in sabbato pasche. tamquam
lxx. anno. alleluia cantamus. eorum
representando leticiam. Sed tamen il
li in apparatu reditus et colli
gendo sarcinulas. multum labo
rauerunt. et nos post alleluia trac
tum statim subiungimus qui laborem
significat. Sabbato autem quo. lxx. ter
minatur duo alleluia cantamus
eorum plenam leticiam per quam perue
nerunt in patriam figurantes.
Hoc est tempus captiuitatis et
exilii filiorum israel. representat
tempus nostre peregrinationis. quia sicut
ipsi. lxx. anno sunt liberati. sic et
nos sub. vi. mundi etate. Et sicut
ad huc in colligendo sarcinu
las laborauerunt sic et nos si liberati
in completione mandatorum dei la
boramus. Sed cum ad patriam perue
nerimus. tunc labor omnis cessabit
et gloria perfecta erit. et duplex alleluia
in corpore et anima cantabimus. In
hoc igitur tempore exilii actus multis tri
bulacionibus perpessa. et se in barathro
desperacionis posita. ab alto tra
hens suspiria. clamat in officio
et dicit. Circumdederunt me gemi
tus mortis etc. et ostendit eciam multi
plicem suam tribulacionem quam habet
pro miseria contracta et pro dupplici
pena inflicta. et pro culpa quam ad
aliquos commissa. Sed tamen ne des
peret proponitur ei in euangelio.
et in epistola triplex salubre remedi
um. et triplex premium. remedium est
ut si ab illa uult perfecte liberari
in uinea anime sue laboret ab
scidendo uicia et peccata. postea in
stadio presentis uite currat. per
ficere opera. De tribus uiuitur in ago
ne pugnet. quia omnia dicta tempore
continentur. et si hoc fecit triplex premium
habebit. quia laboranti dabitur dena
rius. currenti brauium. et pugnanti

corona. quia est septuagesima sicut
tempus nostre captiuitatis sic est nobis
remedium per quod a captiuitate possi
mus liberari. scilicet per cursum fugiendo
per pugnam persistendo. per denarium
redimendo. De sexagesima. a. d.

Sexagesima inchoatur a dominica
in qua cantatur Exurge domine
terminatur in quarta feria post pas
cha. Instituta est autem propter redemp
cionem et propter significacionem et propter re
presentacionem. propter redempcionem quia
melchisedech papa et siluester sta
tuerunt. ut bis in omni sabbato com
mederetur ne propter abstinenciam quam ho
mines sustinuerant. in. vi. feria
in qua omni tempore ieiunandum est ua
lidius debilitarentur. In redempcionem
ergo sabbatorum illius temporis unam
septimanam. lxx. addiderunt. et sexagesimam
uocauerunt. Alia uero est propter significacionem
quia. lxma. significat tempus uiduitatis
ecclesie. et merorem illius pro absencia
sponsi. quam fructus. lx. debet
uiduus. In consolacionem illius pro
absencia sponsi quia ad celum
raptus est dantur ecclesie due ale scilicet
opus. vi. in re exercitacio. et deca
logi impletio. Vel. lx. sonat sex
ac decies ut per. vi. intelligantur.
vi. opera misericordie. per. x. intelligatur
decalogus. Tercia uero est propter represen
tacionem. Nam. lxma. non solum tempus
uiduitatis significat. sed et misterium
nostre redempcionis representat. Nam
per. x. intelligitur homo qui est decima dragma.
eo quod factus sit ut ruinam. ix. ordi
num repararet. uel intelligitur per. x. eo quod
constat ex. iiii. humoribus. quantum
ad corpus. et habet tres potencias in anima. scilicet
memoriam intelligenciam. et uolun
tatem. que facte sunt ut fruamur. beatissime
trinitati ut in ipsum fideliter creda
mus. ipsum feruenter diligamus. semper
in memoria teneamus. per. vi. in
telliguntur. vi. misteria per que ho
mo redemptus est. et redempcio que sunt incarnacio.
natiuitas. passio. descensus ad

in inferos. Quinto et in celum ascensio. Et protenditur sexagesima usque ad quartam feriam post pascha in qua cantatur: Venite benedicti patris mei. Quia illi qui in operibus misericordie se exercent audient illud: Venite benedicti, ut ipse Christus testatur. Vel tunc sponse ianua aperitur et amplexu sponsi fruetur. In epistola admonetur ut instar Pauli in tribulatione de absentia sponsi patienter tolleret. In evangelio ut seminatione bonorum operum semper insistat. Et quia quasi desperans clamaverat: Circumdederunt me etc. Nunc quasi ad se rediens petit in officio in tribulationibus adiuvari et ab ipsis sive erigi dicens: Exurge domine etc. Exponit ubi triplex exurge. Quidam enim sunt in ecclesia qui adversis premuntur sed non deiciuntur. Quidam qui premuntur et deiciuntur. Quidam qui nec premuntur nec deiciuntur, cumque adversa non tolerent, periculum est ne in prospera ipsos frangant. Clamat ergo ecclesia ut exurgat quantum ad primos ipsos confortando, in quibus dormire videatur ipsos non eripiendo. Clamat ut exurgat quantum ad secundos ipsos convertendo, a quibus videtur faciem avertisse ipsos quodammodo repellendo. Clamat ut exsurgat quantum ad tertios ipsos in prosperis adiuvando et liberando.

De quinquagesima ad

Quinquagesima durat a dominica in qua cantatur: Esto michi domine in deum protectorem, terminatur in ipso die pasche. Instituta est autem et propter supplectionem et propter significationem et propter representationem. Propter supplectionem quoniam cum debeamus xl diebus ieiunare ad similitudinem Christi et tamen sint ibi tantum xxxvi dies ieiunabiles quia in dominicis non ieiunatur, tum propter leticiam et reverentiam resurrectionis, tum etiam quia ipsa die resurrectionis bis comedit, scilicet quando intravit ad discipulos ianuis clausis et illi optulerunt ei partem piscis assi et favum mellis, et iterum cum discipulis euntibus in Emaus secundum quosdam. Ideo pro supplectione earum addita sunt iiii dies. Clerici vero videntes quod sic precederent populum ordine, ita precedere deberent sanctitate, per duos item dies ante illos iiii abstinere et ieiunare incipiunt. Et sic una septimana addita est que et quinquagesima nominatur, ut ait Ambrosius. Alia est ratio propter significationem, quoniam quinquagesima significat tempus remissionis vel penitentie in quo omnia remittuntur. Quinquagesimus enim annus erat iubileus qui erat annus remissionis, quia tunc debita dimittebantur, servi liberabantur et omnes ad suas possessiones revertebantur, per quod significabatur quod per penitentiam dimittuntur debita peccatorum, liberantur omnes a servitute demonum et revertuntur ad possessiones celestium mansionum. Tertia ratio est propter representationem. Nam quinquagesima non solum tempus remissionis significat, sed et statum beatitudinis representat. Nam in quinquagesimo anno servi efficiebantur liberi. In quinquagesimo a die agni immolati lex data est. In die quinquagesimo a pascha datus est spiritus sanctus. Et ideo hic numerus beatitudinem representat, ubi erit adeptio libertatis, cognitio veritatis et perfectio caritatis. Tria autem sunt necessaria que proponuntur nobis in epistola et in evangelio, ad hoc quod opera penitentie sint perfecta, scilicet caritas que proponitur in epistola, memoria dominice passionis et fides que intelligitur per illuminationem ceci, et hec ponuntur in evangelio. Nam fides ipsa opera facit acceptabilia quia

sine fide impossibile est placere deo